

IN PSALMODIAM
Lutheranam

D. CORNELII
BECCERI, &c.

Epigramma.

Quæ Rex fatidicus citharâ cantavit Hebræâ,
Verba modis flatu subjiciente Dei:
Hæc jam Germanâ psalluntur carmina linguâ,
Et parent nostris subdita verba modis.
Quàm bene credis agi, patria ô Germania, tecum,
Dignatur tanta quam bonitate Deus?
Tradidit interpres tibi Biblia tota Lutherus,
Hinc fluit in cathedris concio multa tuis.
Ut tua vox iterum concordi laude responset,
Disclavit Psalmos Spiritus ecce sacer.
Hos quoq; maternis felix includere rhythmis
Lutheri cæpit carmine vena gravi.
At nunc succedens Becceri cura labori,
En Lutheranum continuavit opus.
Integer hinc prodit præsentè volumine Psaltes,
Teutonico secum passus ut ore canas.
Nulla modis novitas, non sensu verba coactò;
Auctori facilem se pia Musa dedit.
Utitor ergò tuis fruerè & Germania donis,
Hunc quoq; ceu par est, accipe grata librum.

Depo-